




Nr. 24.

87

PROGRAMMA SACRVM,  
QVO  
ACADEMIAE FRIDERICIANÆ  
PRORECTOR  
IOACHIMVS LANGIVS,  
S. S. THEOLOGIAE DOCTOR ATQVE PROF. ORD.  
VNA · CVM  
CANCELLARIO & PROFESSO-  
RIBVS RELIQVIS,  
CIVES ACADEMICOS  
AD FESTVM PASCHALE  
ANNI M DCC XXXI.  
*SANCTE CELEBRANDVM*  
INVITAT,  
EISQVE  
INGENTEM TERRÆ MOTVM,  
RESVRRECTIONIS IESV CHRISTI  
COMITEM,  
EX MATTH. XXVIII, 2.  
CONSIDERANDVM PROPONIT.  
cm.  
\*\*\*\*\*  
HALAE  
TYPIS ORPHANOTROPHI.





Ediit, CIVES CARISSIMI, illustris ille  
dies, cuius diluculum coniuncta cum  
DOMINI resurrectione terræ commotio  
nobilitauit. Quum enim excuteret  
mortis vincula vitæ princeps, interea  
dum piæ mulieres iter ad sepulchrum  
parant, corpus sanctissimum vñcturæ,  
*id est mōs ἐγένετο μίας, en magnus exstītūt motus, narrante MAT-*  
*THAEO c. XXVIII, 2.*

Equidem quæcumque violentior agitatio isthac voce de-signari potest; in primis tamen concussionem vasti alicuius corporis notat, ut maris Matth. VIII, 24. vel terræ, c. XXVII, 51. siue illa ex ignium subterraneorum inflammatione, siue ex ventis, intra terræ angustias conclusis, inter se fere luctantibus, exitumque cum impetu quarentibus, siue aliis ex causis oriatur. Et hic etiam non tam aerem\*, certe haud solum, sed terram conquassatam fuisse; tum solemnior vocis acce-

A 2 ptio,

\* Ita HENRICVS HAMMONDVS, in notis ad Matth. XXVIII, 2. Fada est  
inquit, magna concusso, verisimiliter AERIS, ope tonitruum. Cui adno-  
tationi IOANNES CLERICVS hunc calculum addidit: Rege AERIS  
concussionem interpretatur Noſter. Sic & Latini dicunt, calum tonitru  
concuti.

## PROGRAMMA PASCHALE

ptio, \* tum motus illius finis & effectus proximus, in lapidis a sepulchro deuolutione conspicuus, abunde docet.

Haud vulgarem vero fuisse motum, satis prodit sacer historicus, dum eum *magnum* adpellat, quo vocabulo alibi quoque c. VIII, 24. horribilem illam tempestatem describit, quæ fluctibus obruebat nauem, Christo dormiente. Vehemens itaque erat terræ concussio, qualis illa, quæ obseruabatur Philippis, Paulo & Sila media nocte inter compedes Deum collaudantibus, quo tempore magnus repente terræ motus coortus fuit, quo carceris fundamenta iactata, &, apertis subito portis omnibus, omnium vincula relaxata fuere. Act. XVI, 26.

Quam late vero ille impetus grassatus fuerit, non satis liquet. Evidem nimis eum angustis limitibus circumscribunt, qui eius vim ne ad totum quidem Christi sepulchrum, sed ad solum lapidem, sepulchri ostio aduolutum, pertinuisse censem. \*\* At illud tamen etiam definiri non potest, vtrum certus tantum terræ tractus, an vniuersus terræ globus, isto motu conturbatus; \*\*\* an in reliquis etiam naturæ partibus \*\*\*\* eius impulsus animaduersus fuerit. Sunt hæc in medio relinquenda, quum, scriptura tacente, nihil hic explorati adferri adfirmarique possit.

No-

---

\* Ita σειμός terræ motum significat Marc. XIII, 8. Luc. XXI, II. Act. XVI, 26. Apoc. VI, 12. c. VIII, 5. c. XI, 13. c. XVI, 18.

\*\* Ut GERHARDVS MAVERKAMPIVS, in diff. de voce μέγας, sub IAC. GRONOVO habitu.

\*\*\* B. IOANNES GERHARDVS, in harmonia historie euang. de resurrectione Christi, cap. I. Vt in morte Christi terræ motus contigerat, ita quoque in resurrectione eius mota fuerunt fundamenta terra.

\*\*\*\* B. IO. HENR. MAIVS, in acton. temp. N. T. p. 137. Resurrectionis signum fuit motus longe maximus, subito diuinitus excitatus, non tantum in terra, sed & in omnibus elementis.

Noluit vero diuinus scriptor auctorem illius motus a nobis ignorari , dum addit: *Angelus enim Domini ex cælo descendit; quibus verbis ingens ille terræ tumultus caussis naturalibus abiudicatus , summo caussarum naturalium conditori ac arbitro adseritur, qui in eo excitando angeli ministerio libere usus est. Evidem crebro DEVS suam præsentiam siue inusitato aeris sonitu, 2 Sam. V, 24. siue terræ motu i Reg. XX, ii. fieri voluit testaram; cuius veritatis fama ad ipsos etiam gentiles dimanasse videtur, qui Numinum adpariciones non sine prævia locorum agitatione fieri adfirmabant.* \* Sed hunc tamen terræ motum nihil aliud, quam angeli aduentum significasse, ut cum HVGONE GROTI<sup>o</sup> \*\* statuamus, non possumus a nobis impetrare.

Conferendus ante omnia mirabilis ille euentus est cum vaticinio Haggæi, c. II, 6. *Propediem erit, quum ego cælum, terram, mare, siccumque commouebo. Quamuis enim hoc solo casu non exhaustum putemus illustris illius prædictionis implementum, tamen hic etiam vere cælum commotum est, angelorum descensu, & terra coram Domino nutauit.* Conferendus porro hic motus est cum illo, *qui Christo in cruce moriente accidit.* Hos duos enim casus non esse inter se commiscendos, nemo non intelligit, quum ille contigerit die Veneris, tem-

A 3 po-

\* Ita IAMBlichvs de mysteriis sect. II. c. IV. vbi postquam dixisset, diis adparentibus τὴν γῆν μηκέτι δύνασθαι ἵστως, terram stare amplius non posse, sed vehementer tremere; quod accepisse potuit ex Mose Exod. XIX, 18. pergit: ἀρχαγγέλων δὲ ἐν Φανομένων, μείζοι τινες συγκινένται τῇ κόσμῳ. Quum vero archangeli adparent, partes duntur quædam mundi commouentur; quod forte a Mattheo didicit.

\*\* Ad Math. XXVIII, 2. *Hic motus signum fuit secutura ὄπτασίς, satis notum populo iudaico, Psal. LXVII, 8.9. Psal. XCIX, 1. Esa. VI, 4. ceter. Ostendit hoc, quod sequitur: Angelus enim descendit. Quare nulla alia querenda est ratio.*

## PROGRAMMA PASCHALE.

pore fere vespertino; hic vero die Solis, primo crepusculo. Digna verò obseruatu res est, quod terra tremuerit, & quum anima ex Christi corpore exiret, & quum anima in Christi corpus rediret. Sic DEVS duos salutis nostræ cardines, mortem ac resurrectionem Redemptoris, stupendis naturæ commotionibus insignire, posteritatique commendare voluit. Sed nec ille motus, quamvis angustioribus terminis adstrictus, hic prætermittendus est, quo *domus illa*, velut nauis a fluctibus,\* innocue agitabatur, in qua testes resurrectionis Iesu Christi exoptatos sui negotii progressus precibus a DEO efflagitabant. Act. IV, 31. 33.

Altius vero in caussas ac *fines* admirandæ huius commotionis inquisituri, varios detegere licebit, negotio, quod tunc gerebatur, congruos, & summa DEI sapientia dignos.

Ac proxime quidem id potissimum hoc motu intendebatur, ut, concusso Domini sepulchro, impositum ingentis saxi onus reuoluueretur. Vti nimurum prior ille tremor, qui Christo evita discedente terram inuafit, multorum aditus sepulchrorum aperuit, excussis lapidibus, qui speluncarum orificium occludebant, Matth. XXVII, 51. 52. ita hoc etiam posteriore motu, qui Domino in vitam redeunte accidit, reuulsa sunt sepulchri repagula, rescsisa DEI manu sigilla, publica syndrii auctoritate impressa, saxi denique vasta moles amota; non sane ut rediuiuo mortis victori exitus ex monumenti carcere pararetur, (qui enim per clausas fôres in discipulorum conclaue intrare potuit Ioan. XX, 19. is clauso etiam sepulchro potuit exire) sed ut piis mulieribus, de saxo amouendo sollicitis, ac deinde discipulis, ad vacuum monimentum aditus panderetur. Recte IVSTINV<sup>S</sup>  
mar-

---

\* LVCAS: ἐστάλενθη ὁ τόπος. Nam σάλον mare denotat, vndarumque eius in tempestate commotionem, Luc. XXI, 25.

*martyr\*: Suæptæ potentia Dominus e monumento, cui lapis impositus fuit, egressus est. Non enim, ut ipse prodire posse, saxe de monumento deusolutio facta est, sed eorum causa, qui id conspecturi erant, ut ipsis resurrectionis veritas offendereatur.*

Non minus vero hic motus de diuina resurgentis maiestate irrefragabile testimonium perhibere debuit. Idem nimurum hic ad viuos redibat, cuius olim vox montem Sinai concussit, Ebr. XII, 26. Vt enim tunc filio Dei ad legem ferendam in Israe- lis conspectum prodeunte, terra ad eius præsentiam cohorescet Psal. LXVIII, 9. Exod. XIX, 18. ita nunc quoque, quum, impleta per consummatum obsequium lege, denuo in lucem & conspectum prodiret, iterum terra, sui & creatoris & redemptoris reverentia commota, tremuit, nouam velut vitam rediuiuo Deo, læta hæc inter tripudia, gratulatura.

Neque errabimus, si eo spectasse istas terræ agitationes dicamus, ut stupidi homines ad contemplationem tantarum, que tunc agebantur, rerum, hoc velut signo dato excitarentur.\* Solent enim mortalium animi magis commoueri euentibus, qui in sensu incurront, & visu tactuue percipiuntur, quam aliis diuinæ nutibus voluntatis. Hinc Deus, attentione digna siue patra-

\* In response ad quest. CXVII. ad orthodoxos, p. 470. ed. Parisi, vbi verba Greca sic habent: Τῇ ἐαυτῇ θείᾳ δυνάμει τῷ μνήματος ἐξηλόθε, τῇ λίθῳ ἐπικεφαλῇ τῷ μνήματι. ὃ γάρ διὰ τὴν αὐτὴν ἔγειστι τῇ λίθῳ ἐν τῷ μνήματος ἐγένετο ἡ ἀφάνεστις, διλαδὸν τὸ δηλωθῆναι τοῖς ὄχεσι τὴν ἀντίτασιν.

\*\* I.O. GERHARDVS loc. cit. Hoc miraculo Deus testari voluit, se hoc tempore, quo terra ita mouetur, noua, admiranda, atque stupenda agere, ideoque ad considerationem resurrectionis dominice hominum animos hoc terre motu excitare voluit. Addit vir beatus verbis germanicis: Wie das Erdbeben Christo zu Grabe geleuet, also hat Gott der Herr die- se Sturm-Glocke in seiner Auferstehung wieder gezogen.

patraturus siue locuturus, vt hominum infirmitati sese attemperet, eiusmodi naturæ perturbationibus eorum mentes ad attentionem præparare consuevit. Sic, legem ipso promulgaturo, fragores exstiterunt & fulgura, & densa nubes, tum tubæ sonitus vehementissimus, toto fumante monte & contremiscente. Exod. XIX, 16. 18. Par igitur erat, vt hic etiam insolito telluris succussum homines admonerentur, rem nunc geri singularem, hoc ipso momento redire in vitam, quo ante triduum exspirante, natura, velut in agone constituta, trepidarit, recludi nunc sepulchrum, vinci mortem, immortalitatis coronam victoris capiti imponi.

Accedit, quod Deus potentia, quam in filii suscitate demonstrabat, hoc modo specimen edere voluerit. In Christo scilicet e morte reuocando ille ostendit τὸ ἀποκαλύπτον μέγεθος δυάρων, & οὐρανος τῆς ισχύος ἀντί, excellentem potentiam magnitudinem, & egregium suæ virtutis robur. Eph. I, 19. 20. Id ne cui incredibile videatur, prodigiosa terræ iactatione efficit. Quid enim ab eo non exspectes, qui, irobo teste, terram ex sede sua conuelliit, concussis eius columnis; cap. IX, 6. per quem, NAHVM O interprete, mones communentur, tollitur eius aduentu tellus cap. I, 5. Qui iners terræ pondus velut animare ac tollere in altum potest; quidni animam reddere Redemptori, eiusque corpus, in locum corruptionis illatum, erigere queat?

Quin iræ sua etiam signa hoc terre motu edere DEVIS constituit. Evidem SENECA,\* cœcushomo, ira Numinum aut cælum concuti, aut terram, negat. Sed aliter sacræ literæ, a naturæ auctore inspiratae, pronuntiant. Habent quidem ista, vt SENECA ait, suas caussas; sed quæ liberrimi ac sapientissimi rectoris imperio subsunt, qui iram non raro suam terribibus istis effectibus prodit. Illo succensente commota tellus contremiscit,

---

\* Questionum natural, lib. VI. c. 30.

ANNI M DCC XXXI.

9

*miscit, & concusse montium cōborrescent moles. Psal. XVIII, 8. Vi-deo, inquit IERE MIAS, commoueri montes, omnesque colles quat, Iehous iracundia, cap IV, 24. 26. Quis, eo ira ardente, consitat, cautibus per eum dissidentibus? Nah I, 6. Evidēt quum Sponsorem nostrum ex squalido sepulchri carcere in libertatem DEVS emitteret, eo ipso publice testabatur, satisfactum esse eius obsequio suæ iustitiae, seque iram, aduersus genus humānum conceptam, posuisse. Sed erat tamen etiam, quod indignaretur, tum aduersus protanos monumenti custodes, quos hoc terræ sub pedibus tremore, & intolerabili angeli, saxo insidentis, iubare, in præcipitem fugam coniecit; tum aduersus futuros tantæ salutis contemtores, quam morte partam, resurrectione sua filius obsignauit.*

*Insuper hoc motu attentis ad signa temporum animis insinuabatur, veram nunc adesse redētionem ex deterrima diaboli ac mortis feruitute, quam illa olim ex Aegypto liberatio præfigurauit. Si tunc igitur montes, ut arietes, & colles oue natōrum rītu exsiliuerunt, Psal. CXIV, 1. 4. nunc certe multo magis præ gaudio subsultabat terra, iugum vanitatis velut excussura, cuius olim amouendi pignus in Domini resurrectione accepit.*

*Denique in hoc prodigio rerum quoque futurarum præludia sancta cum voluptate cernuntur. Delineabantur magno hoc terræ motu maiores animorum, terræ adfixorum, motus\*, per concionem de Iesu rediuiuo inter Iudæos pariter ac reliquas gentes excitandi. Vbi cumque enim terrarum Iesu Christi præcones nuntiabant, filium DEI in humani generis salutem & mortuum esse & reuixisse, ibi homines, tantarum rerum nouitate perculti, siue ad assentiendum isti doctrinæ, siue, mali dæmonis instinctu, ad contradicendum commouebantur;*

B

tur;

\* Consentit IO. GERHARDVS, loc. cit. Hic terræ motus significabat per prædicationem euangelii de Christo mortuo & resuscitato commouendum esse orbem terrarum - & hominum terrenorum corda ad pœnitentiam esse flectenda. Quin & MATTHIAS FLACIVS, in glossa N. T. p. 132. concitatum esse hunc motum iudicat in testimonium tum factæ resurrectionis, tum eius efficacie.

## PROGRAMMA PASCHALE

tur; quos animorum motus & Dauid prædixit Psal. XXIV, 7.8. & Dauidis filius, Math. X, 35.36. Vt porro terræ agitationes in scripturis sacris designant magnas rerum publicarum mutationes, coniunctas cum demonstratione clarissima diuinæ maiestatis, & terribilibus speciminibus iustitiæ eius; \* ita hic etiam motus reipublicæ iudicæ cultusque Leuitici concussionem, vmbrae legalium, exoriente iustitiæ sole, abolitionem portendebat. Ebr. XII, 26.27. Denique isti terræ tremores, cum Christi ex sepulchro exitu coniuncti, præluserunt magnis ihsis & horrendis conuulsionibus, quibus discors naturæ compages vexabitur, quando terra mortuos, sinu suo conclusos, Domino iubente, velut euomet, quando cæli perniciter interibunt, elementa ardentia dissoluentur, & tellus, & quæ sunt in ea res, conflagrabunt. 2 Pet. III, 10. Apoc. XVI, 17. seqq.

Ceterum an Seruator rediuius hoc ipso, quo terra fluat, tempore ad inferos descenderit, de principibus teñbrarum mortisque regno triumphaturus, id quidem suo loco relinquimus. Grauter istud prælrium depingit PETRVS CHRYSOLOGVS, seculi quinti lumen. Tremuit, inquit \*\*, terra, quia ab inferis dominator ascendit, mouetur chaos, disflunt imaterram, timet terra, montium tremunt pondera, orbis fundamenta quatuntur, corripitur tartarus, sustentur inferna, adductur mors, que, in reos tendens, incurrit in indicem &c. At enim vero tacente scriptura, nihil vel ingeniosissimæ persuadent rhetoricationes.

O igitur memorabilem terræ motum, & nostra meditatio dignum; de quo vero idem, quod de reliquis Deistupendis operibus, iure dixeris: *Qui sapit, hac obseruabit.* Psal. CVII, 42. *O quam magna facta tua, IEHOVA,* quam profundæ sunt tue cogitationes. Hoc nesciunt stupidi, hoc non intelligunt infani. Psal. XCII, 6.7. Tantus scilicet stupor mortalium mentes oppressit, vt nec ad præsentissimum Dei digitum obstupescant, suauiter interim de his illis tantorum effectuum cauissis naturalibus somniantes.

Abfit

\*\* Obseruantे CAMP, VITRINGA, anacrisi apocal. p.735.

\* Sermons LXXIV.

Absit, CIVES DILECTISSIMI, absita vestris mentibus  
 vecors ille & obtusus torpor. Cogitate quæso, qualis quantus-  
 que sit, cuius velut alterum natalem diem, tanto terræ motu in-  
 signem, hodie celebramus. Non vulgaris de grege mortalium  
 homo; sed naturæ Dominus, sed orbis terrarum arbiter atque  
 heres, sed reuerendus generis humani legislator, qui sua olim vo-  
 ce terram conquassauit, Ebr. XII, 26. cuius aspectu tellus tremit, tætu  
 montes fumant, Psal. CIV, 30. Vtinam eius maiestas sanctum  
 vobis horrorem incutiat, euangelii deinde radiis discutien-  
 dum! Vtinam recordatio delictorum iuuentutis, quibus  
 mortem, (proh facinus horrendum!) quibus Dei filio mor-  
 tem intulisti, ad salutarem luctum pectus vestrum permo-  
 ueat, in sanctam aliquando lætitiam desitum! Vtinam in  
 felicem vos fugam hic terræ motus coniiciat, vt sicut olim  
 Iudæi fugerunt ob telluris trepidationem tempore Vziæ,  
 Zach. XIV, 5. ita vos fugiatis in amplexus patris, qui sui vos  
 filii sanguine sibi reconciliauit. Ne fitis quæso inter tantæ  
 salutis contémtores, aduersus quos iræ signa ipso resurrectio-  
 nis die terræ conditor dedit. Agite, amplectimini veram  
 redemptionem libertatemque a vinculis tenebrarum, a pra-  
 uarum consuetudinum iugo, a mortis denique, qui vos ex-  
 cruciat, metu, magnovobis pretio procuratam. Abiicite  
 friuolam humanæ infirmitatis excusationem. Qui enim ter-  
 ram, tantæ molis corpus, potentissimo voluntatis suæ im-  
 perio labefactauit, lapidemque reuoluit, sepulchri ostio ad-  
 volutum; is excellentem potentiaæ suæ magnitudinem in eo  
 etiam demonstrabit, vt vestræ salutis impedimenta remo-  
 ueat, vt cor lapideum e medio tollat, vt vitam vobis inspi-  
 ret diuinam, nunquam posthac intermorituram. Sic enim  
 iis, qui aiunt, exaruisse ossa sua, spemque suam omnem pe-  
 riisse, dicere iubet: Ego aperiam sepulchra vestra, & vos  
 meos ex sepulchris vestris extractos, spiritu meo imbuam,  
 faciamque, vt viuatis. Ezech. XXXVII, 12. 14. Præbete  
 modo aures mentesque obsequiosas verbo vitæ, his diebus  
 publice prædicando. Abstinete vos, a sanctis illis, quas in-

12 PROGRAMMA PASCHALE ANNI MDCC XXXI.

ter audiendum sentietis, pectorum commotionibus impie suffocandis. Coniungite cum vsu verbi serias preces, vosque ad eius pedes aduoluite, qui, quum olim ad mortuum adolescentem conuersus, diceret: *Iuuenis, inquam tibi, surge!* prædam ex mortis faucibus liberauit. Denique ita hos festos dies transfigite, vt inter horrendas illas naturæ morientis palpitationes, quas vox iudicis, *Surgite mortui & coram iudicio comparete!* olim ciebit, mentem habeatis tranquillam, & nulla culpa expauescentem.

At vos etiam, O NOSTRI, quos Deus, misericordia diues, olim in delictis mortuos, vna cum Christo reuocauit in vitam, vos etiam admirandus ille telluris motus, dominice resurrectionis testis ac comes, ad sanctam excitet diligentiam, in mysteriis tantæ rei scrutandis haud inutiliter collocandam. Agite, osculamini filium, vestræ salutis instauratorem, exsultantesque cum tremore castum ac sancte colite. Psal. II, 11. 12. Amplectimini, inter tenerimos animorum motus, primogenitum ex mortuis, quem terra tremens velut parturiuit, inque lucem iterum edidit. Tenete petram salutis, quæ sola stat inconcussa, suisque praesidium praestat, licet terra moueat, tantaque tempestate turbentur maris vnde, vt ad eius aëstus montes contremiscant. Psal. XLVI, 2. 3. 4. Alios terreat iræ diuinæ, terræ quietem interturbantis, prodigia, hoc quoque seculo haud rara. Vobis refugium aduersus iram præbet Redemptor Immanuel, per cuius mortem quum Deo expiati sitis hostes, multo nunc magis reconciliati seruabimini per eius vitam. Rom. V, 10. Denique sic fidem vestram instruite, vt sanctum motus & quietis æquilibrium his etiam diebus seruetis; ita in mortis & resurrectionis dominice communionem perpetuo nisi motuque tendentes, ut in partis per eam bonis suauiter subinde acquiescatis. Valete.

P. P.

In Academia Fridericana, d. XXV. Martii,  
M DCC XXXI.

Ja 1586

ULB Halle  
001 508 687

3




VDN8

St

VDN7



87



PROGRAM

ACADEMIA  
PRO  
IOACHIM  
S. S. THEOLOGIAE

CANCELLAR  
RIBVS  
CIVES A  
AD FESTV  
ANNI M  
SANCTE  
IN

INGENTEM T  
RESVRRECTIO  
CO  
EX MAT  
CONSIDERA

H  
TYPIS ORE